

ductus obtulit ecclesie nostre septem marcas argenti, cum quibus comparavimus dimidium chorum tritici in bonis que quondam fuerunt Bethemanni militis dicti de Berghe, et communi consensu ac libera totius nostri capituli voluntate ordinamus atque statuimus, quod dictus dimidius chorum tritici singulis annis dabitur in anniversario eorum ad servitium fratrum, qui anniversarius simul agetur cum compulsatione et accendentur tres candelae ad vigiliam et ad missam animarum et inde dabuntur custodi quatuor denarii. Insuper una candela de dimidia libra accendetur apud corpus domini, que tota consummabitur, et inde dabuntur custodi octo denarii de choro dimidio supradicto. Vt autem hec nostra ordinatio seu constitutio perpetuo inviolabiliter observetur, presens scriptum nostro nostrique conventus sigillis fecimus firmiter roborari.

Datum anno domini millesimo trecentesimo quinto.

Abschrift im Privilegienbuche S. 71—73 mit der Ueberschrift: Berga dimidius chorum tritici. Capsa J XXI.

1307, August 15.

160.

Arnold, Abt zu Berge, beurkundet, dass der Conventual und Kämmerer des Klosters Johannes demselben eine Hufe im Dorfe Crive durch Kauf vom Kloster Althaldensleben erworben hat, und verordnet, dass die Einkünfte derselben, nämlich 1 Wispel Weizen und 1 Wispel Winterkorn, dem Geschenkgeber verbleiben, nach seinem Tode aber für den Altar sancte crucis im Kloster verwendet werden.

Nos Arnoldus dei gratia abbas monasterii sancti Iohannis baptiste prope Magdeburch litteris presentibus recognoscimus, quod Iohannes sacerdos et monachus insuper et camerarius ecclesie nostre de nostra permissione et licentia comparavit ecclesie nostre mansum unum situm in villa que dicitur Crive ab ecclesia sancti Iohannis baptiste sanctionialium in Haldesleve cum omni iure proprietate et proventu, qui ex eodem manso ex nunc et deinceps poterit provenire, quem mansum nunc tenet quidam civis dicte ville iure vel titulo qui vulgo dicitur ervepacht, ita quod singulis annis ipsi vel heredes ipsorum, sive ad quoscumque tempore procedente idem mansus fuerit devolutus, solvent ecclesie nostre in festo beati Martini de predicto manso unum chorum tritici et unum chorum siliginis, quod ad curiam nostram duci cum vectura propria procurabunt tempore prenotato. Nos igitur ad petitionem et instantiam dicti Iohannis sacerdotis humiliter inclinati et iustis votis ac piis eiusdem desideriis misericorditer annuentes predictos choros duos eidem ad tempora sue vite pro utilitate et necessitate ipsius assignavimus singulis annis recipiendos et prout sibi utilius visum fuerit expedire de nostra permissione et licentia in usus proprios licite